Jahresbericht

über das

Königliche Gymnasium, die Realschule und die Vorschule zu Duisburg,

womit zu der

öffentlichen Prüfung, Schlussfeier und Entlassung der Abiturienten

am 27. und 28. August 1857

die verehrl. Behörden, die Eltern der Schüler und alle Freunde der Anstalt

ehrerbietigst einladet

der Direktor

Dr. Karl Eichhoff,

R. d. r. A. O. 4. Kl.

Voran geht eine Abhandlung des Hrn. Oberlehrers Dr. *Nitzsch*: „Herodotea“.

Duisburg,

Buchdruckerei von Joh. Ewich.

1856.



Herodotus, quum Graecarum religionum caerimoniarumque primordia pleraque ab Aegyptiis repetat, potest ille quidem in Aegyptiacis sacris exponendis videri nimium quantum parce atque restricte agere. Sed esse eius rei causam satis probabilem, nemo exstitit, quin sponte concederet; quae sit, varie disceptatur. Ac Bährius quidem, vel potius Kreuzerus, quique eum secuti sunt, quod ad augustissima mysteriorum initia revocandum illud existimant, non tam confirmatam testimoniis ex ipso scriptore desumtis sententiam demonstrare, quam praeiudicatam quandam opinionem afferre mihi videntur. Neque vero illi hoc magis propositum habent, ut, qualem ipse Herodotus Aegyptiorum sacrorum rationem animo perceperit, talem commonstrent, quam illud acriter enituntur, ut, quae relata ab illo repererint, ad decreta sua tanquam certis fundamentis stabilita componant atque accommodent. Verumtamen aliud est, disserere quae Aegyptiacarum religionum vis ac ratio fuerit; aliud, quales illas ad suum scriptor ingenium conformaverit. Atque haec quidem quaestio quoniam nequaquam adhuc satis explicata videbatur, mihi quoque, quae quum reliqua tum Aegyptiaca non semel lectitanti probabilia ad argumentandum visa essent, in medium proponere collibitum est. Quod quo rectius institueretur, ante omnia faciendum putavi, ut rem lubricam atque aleae plenam ad eorum, qui maxime in censum venirent, locorum enarrationem revocarem. Nec magno opere illud pertimesco, ne aut causis rationibusque odorandis in eo grege adnumerer, qui adeo emunctae, ut ajunt, naris sibi videntur, ut, quicquid lubet, eruant, unde erui nihil quidquam possit; aut contra summorum virorum auctoritatem disputando levitatis crimen subeam arrogantiaeve in reprehensionem incurram, sic statuens, non tam arcanorum sacrorum initiis adstrictum aut admiratione verecundiave perculsum tacenda tacuisse historiae patrem, quam divini numinis sanctitate atque religione imbutum committere noluisse, ut, quae a sacerdotibus in sacris tradita ad sanctam augustamque Deorum naturam minus decora viderentur, in vulgus ederet. Quamquam intelligo, qui hanc in sententiam disputet, ei omnium primum expediendum esse illud, qui fieri potuerit, ut Graecarum religionum tanquam fontem atque principium statueret Aegyptiacas. Itaque priusquam illa conor attingere, proponam breviter, quo hoc mihi referendum videatur. Ac primum quidem illud commemorandum puto, Herodotum satis constare nequaquam omni ratione cum populari de rebus divinis opinione consentire, neque vero magnam quandam idcirco Aegyptiacis admirationem tribuere,

quod hos sequuti Graeci Deorum nomina, ritus, caerimonias constituerint. Jam vero aliud esse statuit, ipsam de divino numine opinionem mente concipere ac conformare, aliud, singulorum Deorum naturas cogitatione effingere certisque terminis definire, et quae reliqua inde humano consilio ducuntur. Alterum ait, sacerdotes Dodonaeas memorasse, priscorum Graeciae cultorum animis insitum fuisse tanquam divinitus praeceptum. (*θεοὺς δὲ προσουνόμασάν σφεας ἀπὸ τοῦ τοιούτου, ὅτι κόσμῳ θέντες τὰ πάντα πρήγματα καὶ πάσας νομὰς εἶχον*) idque unum, opinor, ipse Herodotus pro rato fixoque habebat, caetera iniudicata relinquebat. Alterum et extrinsecus arcessitum atque per ora manusque traditum nec summa oraculorum auctoritate publice receptum, nominibus exceptis, opinatur. Haec igitur quod ab Aegyptiis in Graeciam fluxisse auctor est, non ipsarum religionum admiratio, sed illud in causa est, quod ista natio antiquitate et omni cultus humanitatisque laude facile reliquas antecedere videbatur, ut, quum genuinam vel sua sponte inter ipsos Graecos natam caerimoniarum rationem praeiudicata quaedam opinio non reciperet, si quem Deum consimilem commonstrassent interpretes graeco, non posset illum non ab alteris ad alteros translatum existimare. Ac ne illud quidem praetermittendum est, quod, nisi fallor, eam potissimum fabularum memoriam et rerum gestarum famam sequebatur, quam inter Jones celebratam cognoverat; quae gens quoniam praecipua quadam commercii consuetudine cum Aegyptiis antiquitus coniuncta fuerat, facili negotio inducebatur, ut vestigiis illius necessitudinis quum famae atque sermonibus hominum tum ipsis, quae invisebat, locis non leviter impressis insisteret atque opinionem illam cogitatione conceptam quasi re expertus corroboraret, corroboratam penitus imbiberet. Sed haec, quoniam parum ad eam, quam hoc loco mihi proposui, causam pertinent, verbo attigisse satis habeo; nunc libet reverti ad illud, quod supra posui, non tam ad augustam initiorum religionem, quam ad propriam et peculiarem de Deorum natura opinionem referendum esse, quod Herodotus libere aperteque de Aegyptiorum re divina pronunciare non semel verecundaretur. At vero aggredienti continuo officere videntur ipsius scriptoris in contrariam sententiam profitentis verba. II. 171. leguntur haec: *ἐν δὲ τῇ λίμνῃ ταύτῃ τὰ δείκηλα τῶν παθέων αὐτοῦ* (sc. *τοῦ οὐκ ὅσιον ποιεῦμαι ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ἐξαγορεύειν τοὔνομα*) *νυκτὸς ποιεῦσι τὰ καλέουσι μυστήρια Αἰγύπτιοι. Περὶ μέν νυν τούτων εἰδότι μοι ἐπὶ πλέον ὡς ἕκαστα αὐτέων ἔχει, εὔστομα κείσθω .... καὶ τῆς Δήμητρος τελετῆς πέρι .... εὔστομα κείσθω, πλὴν ὅσον αὐτῆς ὁσίη ἐστὶ λέγειν.* Hoc uno loco stant, qui consortem factum initiis sacris aiunt nostrum. Neque ego is sum, qui infitias eam, propterea nolle eum in medium proponere, quae comperta habeat de omni illius sacri ratione, quod dei casus in ludis Saiticis spectati a sacerdotibus in arcanis referantur. Sed haec nescio an non admodum nec magna, nec multa fuerint; quod ipse profitetur, quum mysteria illa ait *nuncupari*. Neque vero ita se initiatum dicit, ut omnem rationem exploratam habeat; plura se comperisse ait, quam quae exponat (*ἐπὶ πλέον*). Quod autem vel sic fide tenetur, Aegyptiorum, non suae religioni concedit; nec, si aliter faceret, ipse sibi constaret, qui quidem Cambysem in violata Aegyptiorum re divina, quam ipse haud dubie aversatur Herodotus, exsultantem ac tripudiantem acerbissima castigatione perstringens Pindari illud laudat *νόμος βασιλεὺς πάντων*. (3. 38). Ut iam non perperam statuere videantur, quibus acquiescere lubet ad arcana hoc loco indaganda in sacris illis, qui vocantur, sermonibus, quos infinitis testimoniis constat plurimos a sacerdotibus privatim cum peregrinatoribus communicatos esse (Lobeck Agl. 148. 154); ex quibus haud scio an decreta potius ad philosophandi rationem subtiliter inventa, quam cogitationes opinionesve piis sanctisque animis conceptae redoleant? Nisi forte quis arbitratur, per sacerdotalis illius disciplinae instituta ritusque fieri potuisse, ut homines alienigenae, quamvis magno officio coniuncti, sacris publice receptis interessent. Sed, si qui magnam quandam atque reconditam initiis istis sapientiam ab Herodoto susceptam aut religionem atque verecundiam augusti numinis iniectam eius animo volunt, haec ut recte iudicentur, ante

omnia faciendum est, ut, quae ipse Herodotus de sacris Aegyptiorum narrationibus existimavit, subtilius excutiantur. Quo in genere maxime sunt illa, quae ordine rerum ad Aegyptiaca deductus in exordio secundi libri disseruit. Ubi postquam professus est, quibus potissimum auctoribus in pervestigandis Aegyptiorum rebus usus esset, quae de diis acceperit tradita a sacerdotibus, haec in vulgus editurum sese negat.

II. 3. *τὰ μέν νυν θεῖα τῶν ἀπηγημάτων, οἷα ἤκουον, οὐκ εἰμὶ πρόθυμος ἐξηγέεσθαι, ἔξω ἢ τὰ οὐνόματα αὐτέων μοῦνον, νομίζων πάντας ἀνθρώπους ἴσον περὶ αὐτέων ἐπίστασθαι· τὰ δ᾽ἂν ἐπιμνησθῶ αὐτέων, ὑπὸ τοῦ λόγου ἐξαναγκαζόμενος ἐπιμνησθήσομαι.* Haec ipsa ita in controversia versantur, ut, quibus tandem rationibus ductus rem maximam negligendam putaverit, nequaquam inter homines doctos constet. Nec mihi nunc in animo est, quid quisque aut lucis attulisse, aut caliginis offudisse videatur, in re multum iactata recognoscere atque ad calculos revocare. Verumtamen quoniam haec quaestio eo plus ponderis habet, quod late patet eius disceptatio ad complures alios locos, qui cum eo, quem nunc agimus, quasi quodam necessitudinis vinculo coniuncti sunt, eodemque, quod Herodoti iudicium de sacris illis fabulis vel narrationibus fuerit, effici potest: facere non possum, quin paucis expendam, num firmiter fundata sit, quae simplex causa subest in summa concertantium varietate.

Ac Schweighäuserum quidem et Steegerum commemorasse satis habeo, quos nihil dixisse nemo est, quin concedat, quum *πάντας ἀνθρ.* Aegyptios homines significatos velint; quasi vero aut res sit Herodoto narranti cum Aegyptiis, aut ulla hoc loco eius gentis mentio significetur. Reliqui autem, qui quidem arcana sacra in causa esse hoc loco verecundiae statuunt, excepto uno Lobeckio, ita consentiunt, ut *νομίζων* rell. ad verba *ἔξω ἢ τὰ οὐνόματα αὐτέων μοῦνον* referant atque ita disputent, cur Herodotus illarum fabularum (*ἀπηγημάτων*) mentionem facere nolit, hanc esse causam, quod nefas ei videatur, mysteriorum doctrinam tangere; idem tamen ad ipsorum nominum commemorationem pertinere negare nostrum volunt. Sic Bährius, Dahlmannus, Georg. Grotius, alii. Quod totum mihi secus videtur. Primum enim non hoc scriptoris erat legentium animis persuadere, cur Deorum nomina commemoraret; sed illud, excusare, cur fabulas quas de Diis relatas accepisset, exponere nollet. Quod contra si quis disputet, qui causam nomina referendi afferat eam, quod summo omnium consensu in profanis illa habeantur, eundem ea ipsa re, cur res actionesve Deorum exploratas in recondito habeat, rationem reddere, haec mihi conclusiuncula non falsa illa quidem, sed contortior quaedam atque Herodoti ingenio minime tribuenda videtur; neque temere quisquam concesserit, adeo illud ipsum in vulgus probatum atque in confesso apud omnes fuisse, ut, quicquid de Deorum actionibus et rebus gestis perhiberetur, continuo pro arcanis iudicari oporteret! Neque illud praetermittendum est, quod si nomina Deorum extremis illis *ἴσον περὶ αὐτέων ἐπίστασθαι* spectari vellet, *περὶ τούτων* scripturum fuisse nostrum statuas necesse est, ne temere legentes in errorem adduceret. Sed maxima, opinor, dubitatio in ipsa verborum sententiarumque continuatione vertitur. Ita enim excusandi rationem persequitur: *τὰ δ᾽ἂν ἐπιμνησθῶ, ὑπὸ τοῦ λόγου ἀναγκαζόμενος ἐπιμνησθήσομαι.* Jam vero quae ista aut hominis religio informari, aut mysteriorum sanctitas fingi potest, ut, quae profanari per se ipsa sine ulla temporis hominumve exceptione nefas fuerit, haec mentem scriptoris caste integreque in Deorum cultu versantis ita obstrictam tenuisse nobis persuadeamus, ut tamen hic illic leviusculum quiddam, gratum nimirum legentium animis facturus, decerperet ac delibaret.

Sed arcana sacra tangi, ipse quoque auctor est Lobeckius, quamquam is in ceteris alia omnia sentit, atque viri illi doctissimi. Etenim, ubi Graecas quasdam religiones commemorat, quae hoc habuerint, ut ipsa Deorum nomina nuncupari nefas esset, fabulas evulgari non item: simile quiddam hoc loco ab Herodoto de Aegyptiorum sacris significari vult. Itaque hanc in sententiam

nostrum locum enarrandum censet Aglaoph. pag. 1287.: „Herodotus dicit se de his rebus nomine tenus nec amplius dicturum esse. Deorum nomina in sacris tradita tantum abfuit ut in publicum ederet, ut nil magis tectum reconditumque habuerit. Deinde verba *πάντας ἀνθρώπους - ἐπίστασθαι* significant, omnes homines de rebus divinis idem sentire, scil. non temere evulgandum esse, si quid in occulto traditum sit, quod de se ipse profitetur II. 65. *τὰ θεῖα πρήγματα ἐγὼ μάλιστα φεύγω ἀπηγέεσθαι.*" At haec, tantum abest, ut cum ipsis scriptoris verbis concinant, ut detorquere ea in contrarium videantur; neque quemquam equidem adhuc reperi interpretem, qui *οὐ πρόθυμός εἰμι ἐξηγέεσθαι ἔξω ἢ τὰ οὐνόματα αὐτέων μοῦνον* sententiae magni viri „nomine tenus dicam nec amplius" adsimulare potuerit. Neque tamen in verbis solum haereo, verum etiam in ipsa, quam Lobeckius suscepit, causa. Primum enim illis locis, quos is ad suam sententiam illustrandam in censum vocat, ad unum omnibus Osiridis nomen tecte innuitur. Atqui haud raro summus deus aperte nuncupatur 144. 156. Hinc quod effici putat continuo, ubi reticeatur nomen, hanc esse causam, quod stata quaedam ac sollemnia cognomenta evulgare nolit („in sacris tradita"), nullo vestigio opinor conspirant Herodoti verba, *τὸν δὲ τύπτονται, οὔ μοι ὅσιόν ἐστι λέγειν· τοῦ οὐκ ὅσιον ποιεῦμαι τὸ ὄνομα λέγειν· τόν ὑπ' ἐμοῦ οὐκ ὀνομαζόμενον θεόν.* Jam vero quis est quin longius arcessitum atque ab omni legentium cogitatione remotum existimet, de quibusdam in sacris traditis nominibus, quum tacendi excusationem peteret, ab legentibus cogitari nostrum voluisse; quorum non tam propria atque praecipua istius modi, quam quae in vulgus nota essent, cognoscere intererat. Ceterum ipsas Aegyptiorum fabulas intactas voluisse nostrum, nisi si ipsae de caerimoniis ritibusque expositiones prope imprudentem ad eiusmodi mentiones deflecterent, idque diligentius curasse, quam nomina ut in recondito haberet; res ipsa declarat idque in promptu est, modo ne tribus illis quatuorve locis acquiescamus, quum praesertim his ipsis uno excepto addatur *ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι*, ut legentium animi a nominibus ad res ipsas avertantur. Atqui in eo genere quanta suppeditaverit copia atque varietas sacras fabulas inserendi homini in paucis rerum memorabilium curioso, non est, quod diu multumque circumspectes, si modo Diodori de eiusmodi rebus fuse prolixeque disserentis paucas paginas replicare volueris. Sed illa ut recte disputata a Lobeckio videri possint: quod iis, quae sequuntur *νομίζων πάντας ἀνθρ.* rell. his significari vult, omnes homines de rebus divinis idem sentire, sc. non temere evulgandum esse, si quid in occulto traditum sit, nonne vel ad verba contortius, vel ad rem ipsam pleniore, quam res ferat, ore de universo aut genere humano aut divino cultu in hanc sententiam ab scriptore disputatum existimabimus? Quae quum ita sint, equidem Herodoti illud recte intelligi mihi non persuadeo, nisi manus mentesque a mysteriorum arcanis abstineantur; neque quidquam video relinqui, nisi, ut a qualibet interpretatione extrinsecus adsciscenda animum avocemus atque illa, quae in manibus sunt, quid per se ipsa lucis afferant, consulamus. Quam quidem rationem praeeunte Odofr. Müllero nuper suscepit Henricus Steinius, atque eandem in sententiam discessit, qui in transcursu nostrum locum tetigit, Nägelsbachius *). Atque ille quidem haec habet: „*ἴσον*, gleich viel, d. h. gleich

*) Rungius, vir doctus, qui nuper commentationem conscripsit de ea ratione, quae inter Herodoti popularemque de Diis opinionem intercedat, quum multis locis suffragatorem me habet, tum rectissime disputare videtur contra Lobeckium et reliquos arcanorum sectatores; idem tamen, quod in Deorum nominibus ab Herodoto expositis offendit, mihi nec causam suam probavit nec, quam proposuit, singulas inter se sententias colligandi rationem. Nam quod quaerit „welches Interesse kann der Leser haben, die bloßen Namen zu erfahren", quum in nuncupandis Diis ita versabatur, ut ex Graecorum similitudine, quamvis temere arrepta, Aegyptiacos interpretaretur, hoc certe efficiebat, ut, quales singuli ab Aegyptiis mente percepti ipsi viderentur, extremis lineamentis adumbrati designarentur, poteratque hoc vel maxime ad scriptoris officium pertinere. Itaque illud quidem nec necessarium et contortius mihi videtur, quod verba *ἔξω ἢ τὰ οὐνόματα αὐτέων μοῦνον* cum iis quae sequuntur coniungenda putat („indem ich dafür halte, daß außer ihren Namen allein alle Menschen über sie gleich viel wissen"). Accedit, quod *αὐτέων* illud intra paucorum verborum ambitum iteratum atque ad idem relatum, ita redundat, ut istam verb. colligationem Herodoti ingenio esse vindicandam haud facile quisquam sibi persuadeat.

wenig. Von göttlichen Dingen, ist des Verfassers Ansicht, haben wir Menschen keine Wissenschaft; daher man kein vorschnelles, zuversichtliches Urtheil über sie fällen darf, vrgl. 9. 65. *εἰ τι δοκέειν δεῖ περὶ τῶν θείων πρηγμάτων*". Haec si recte disputata sunt, ut mihi quidem videntur (de vocab. *ἴσον* cf. Soph. Oed. T. 1118. *οὐ μᾶλλον οὐδὲν τοῦδε τἀνδρός, ἀλλ' ἴσον*), neminem esse ait Herodotus, qui certi quidquam explorative suo Marte de Diis pronuntiare possit; atque hoc ipsum haud dubie crimini vertit sacerdotibus, quod plus, quam humana sors ferat, sibi arrogantes atque commenticias quamvis acute atque subtiliter de divinis rebus fabulas confingentes, suo potius ingenio indulgeant, *) quam pie sancteque in divino cultu versentur. Neque enim sciri quidquam posse statuit Herodotus de Deorum natura ac rebus, nisi quae divinitus tradita sint, sive oraculorum responsa caste integreque ad consulendum adeuntibus prompta atque aperta, sive portentorum prodigiorumque monita Deorum nutu ac potestate exhibita, sive fixa illa per omnem rerum gestarum memoriam numinis vestigia ad humanam intelligentiam perspicua. Nam habent anteceptam quandam animis atque eam insitam homines Divini numinis informationem, (Hanc tribuit Pelasgis II. 54. *θεοὺς δὲ προσουνόμασάν σφεας ἀπὸ τοῦ τοιούτου, ὅτι κόσμῳ θέντες τὰ πάντα πρήγματα καὶ πάσας νομὰς εἶχον.*) quam nisi integram servant, ut caveant, ne humanae quidquam imbecillitatis admisceant neve divina humanaque in promiscuo habendo pro sua quisque parte divinam maiestatem pervertant, fieri non potest, quin impiae immodestaeque mentis poenas luant. Glaucus quidem, Spartanus, is, qui pecuniam concreditam reddere creditori recusasset, quum Pythiam consuluisset, ea ipsa de causa, quod Deum tentans de divina dignitate ac maiestate detraxisset, ad exitium traditus est. (6. 86). **) Cleomenes non tam eo nomine impietatis crimine arguitur, quod nefanda caede Junonis sacra cruentaverit, quam quod Pythiae responsa largitione corruperit. Nec mihi quidem dubium est, quin, si nil aliud, at praesens illud numen, cuius ope libertatem atque humanitatem ex belli ore atque ipsis barbariae immanitatisque faucibus ereptam nemo non gloriaretur, mirabundum converterit nostrum, quonam pacto fieri posset, ut populares maiestatem illam vel religionibus publice receptis vel fabulis vulgo usurpatis humanae infirmitatis maculis adspergerent. Itaque in eo numero est historiae pater, qui, quum in caeteris popularem de Diis opinionem convellere non conarentur, tamen quicquid poetarum, philosophorum, aliorum licentia ac temeritate ad humanam similitudinem confictum videretur, abominandum putarent. Neque ille quidquam antiquius habebat, quam ut omnia, quae inter humanam divinamque naturam necessitudinis vincula commenticiis fabulis colligata essent, dilueret atque dissolveret. Huc pertinent, mea quidem sententia, quae de Homero atque Hesiodo, qui, quasi quidam Deorum architecti ac fabricatores, Graecarum religionum auctores fuissent, disputata leguntur. II. 52. ***) Eodem redit, quod Persarum res sacras laudat, qui quidem, ut Taciteis verbis utar, nec cohibere parietibus Deos neque in ullam humani oris similitudinem assimilare ex magnitudine coelestium arbitren-

*) Huc pertinet voc. *ἐξευρίσκειν* saepius usurpatum. II. 82. *καὶ τάδε ἄλλα ἐστὶ Αἰγυπτίοις ἐξευρημένα.* cf. quod crimini vertunt Graecis Scythae 4. 79.

**) Ne hoc quidem crediderim in Herodotum cadere, quod Naegelsbach. p. 332. disputat popularis opinionis fuisse, ut humanae impietatis causae, si qua incidisset, quam ipsi malefico imputare nollent, promiscue ad Deorum sive unum aliquem sive concilium, atque caecam fati necessitatem referrentur. Ille enim eiusmodi causas ab adspectus iudicio remotas fere in fati vim derivat. 1, 8, — 6. 135 — 2. 133 — 4. 79 — 8. 53 — 6. 64.

***) Nil opus est hoc loco quaerere, possitne vocabulo *ποιεῖν* ad poeticam artem relato Herodoti iudicium aut cum populari opinione aut cum nostra eius rei existimatione conciliari: nec moror, Schellingium, quid veri subesset verbis Herodoteis, multis doctorum hominum curis celebratis, acute atque eleganter, ut philosophum, disseruisse. Inventam esse theogoniam ab Homero atque Hesiodo, Herodotus iudicat; quod pluribus explicare non huius loci est; satis habeo admonuisse, ab ipso illud iudicium tanquam proprium quoddam et peculiare atque a populari opinione remotum haud obscure significari.

tur (I. 131). Idem contra Babyloniorum Aegyptiorumque sacerdotum de Jovis concubitu commentis fidem abrogat (I. 182). Hinc, quod homines aut ingenii laude rebusque egregie gestis praeter caeteros praediti aut nobiliore loco orti fabulari memoria ferebantur tanquam Diis immortalibus prognati, repudiat atque aversatur, 6. 53. *τοῦ θεοῦ ἀπόντος . . . ἔλεξα δὲ μέχρι Περσέος τοῦδε ἕνεκα, ἀλλ' οὐκ ἀνέκαθεν ἔτι ἔλαβον, ὅτι οὐκ ἔπεστι ἐπωνυμίη Περσέϊ οὐδεμία πατρὸς θνητοῦ, ὥσπερ Ἡρακλέϊ Ἀμφιτρύων.* cf totum locum de Hecataeo divinam originem iactante deque sacerdotum responso (*οὐ δεκόμενοι παρ' αὐτοῦ ἀπὸ θεοῦ γενέσθαι ἄνθρωπον* 2. 143. 41 142. *ἔλεγον θεὸν ἀνθρωποειδέα οὐδένα γενέσθαι.* 144. *ἤδη ὧν τῶν αἱ εἰκόνες ἦσαν τοιούτους ἀπεδείκνυσάν σφεας πάντας ἐόντας θεῶν δὲ πολλὸν ἀπηλλαγμένους.* Ceterum quod omnium in terris rerum regumen olim penes Deos fuisse eidem sacerdotes dictitabant, Herodotus, qui tamen ab primordiis rerum Aeg. orditur, ne mentionem quidem facit Deorum: *βασιλεῦσαι δὲ πρῶτον* ait, *Αἰγύπτου ἀνθρώπων ἔλεγον Μῆνα.* II. 4. Pisistratum, qui mulierem illam procera statura et forma praeclara praeditam atque magnifico apparatu instructam pro ipsa Dea in urbem deduxisset, *εὐηθίαν* *) exprobrat, non quin ex sententia cesserit, quod dolo atque artificio machinati essent, sed quod *τὴν ἄνθρωπον* (non *τὴν γυναῖκα*) ut adorarent Athenienses, temere effecerunt.

Quae quum ita sint, quumque nec certi quidquam de Diis statuere, nec opinari nisi pio sanctoque animo liceat, non mirum est, exteris etiam nationibus, si quid convenienter ad divinam maiestatem aut cogitatum aut in re sacra institutum offendat, laudem et admirationem haud obscure tribui; ac vereor, ne non multi ex Graecorum peregrinatoribus tam incorrupto fuerint iudicio, qui Herodoteo illo magno opere delectarentur *ὀρθῶς μοι δοκεῖ Πίνδαρος ποιῆσαι, νόμον πάντων βασιλέα φήσας εἶναι.* Cuius rei vel maximum exemplum illud ipsum est, quod Aegyptios in omni cultus humanitatisque genere haud obscure admiratur. Hinc tamen si quis coniecerit, quasi addictum eum atque consecratum fuisse sacerdotum de rebus divinis decretis, is nescio an toto coelo erret. Tenacissimam illis quidem rerum gestarum memoriam vindicat; diligentissime eosdem in Deorum caerimoniis versari non semel dictitat. Atque etiam eo nomine cumulatissima eos laude ornat, quod multa, quae ad elegantiorem vitae morumque rationem pertineant, scite sapienterque antiquitus excogitaverint, excogitata prudenter instituerint, instituta per longum temporum decursum robigine intacta et illibata servaverint. Sed tantum abest, ut reconditam quandam interioremve, et quae praecipuo quasi honore illis mandata sit, rerum coelestium scientiam concedat, ut eo ipso in genere, si quid sumserint sibi, gloriolae illud et vaniloquentiae tribuere nequaquam dubitet. cf. 3. 16. *ἄλλως δ' αὐτὰ Αἰγύπτιοι (δοκέουσι) σεμνοῦν*, II.1 23. *τοῖσι μέν νυν ὑπ' Αἰγυπτίων λεγομένοισι χράσθω, ὅτεῳ τὰ τοιαῦτα πιθανά ἐστι· ἐμοὶ δὲ παρὰ πάντα τὸν λόγον ὑπόκειται, ὅτι τὰ λεγόμενα ὑπ' ἑκάστων ἀκοῇ γράφω.*

Itaque, ut revertamur illuc, unde deflexímus, ea est illa, quam supra commemoravi, enarratio, quae nullo loco non conveniat ad summam Herodoti de rebus divinis opinionem; eademque usque adeo nihil habet nec incommodi nec inconcinni, ut et causa tacendi una satis idonea allata esse videatur, et adiectis illis verbis, quae in exceptione posita sunt, sententia aptissime continuetur. Confictas illas fabulas, inquit Herodotus, non lubet exponere, quoniam neque dixisse quidquam nec dicere posse videntur eorum inventores divina maiestate satis dignum; nisi quod hic illic earum rerum, quas illustrare aggredior, ratio necessario requirit, ut causae inde repetantur.

Quod quale sit, quo facilius intelligatur, ante omnia iam faciendum esse video, ut is locus in censum vocetur, quo quasi aditus patet ad intelligendum, quid maxime in causa fuerit, cur Herodotus in rebus divinis commemorandis restrictius agendum esse arbitraretur. cap. enim 45. postquam Graecis quibusdam scriptoribus, qui Herculem in Aegypto peregrinantem immolandi

*) cf. Naegelsbach. nachhom. Theol. pag. 320. Nro. 2.

causa ad aram deductum neque eo supplicio exemtum esse nisi corporis vi virtuteque adhibita memoraverant, fatuitatem exprobravit, quod constaret apud Aegyptios ne bestias quidem immolari fas esse, nedum ut homines mactarent; idemque postquam recipere fidem negavit, unum Heraclem necdum eum, id quod ipsi prae se ferrent, in concilio coelestium collocatum, cum tot milibus mortalium decertasse — haec, inquam, postquam persequutus est, totum hunc locum ita concludit, ut deos heroesque, propitii sibi esse velint, precetur. Quae quidem Bährius ipsa quoque opinatur precari nostrum, „ut qui de rebus disseruerit, quas tangere nefas sit, cum ad arcanas religiones ac mysteriorum doctrinam pertineant". Quid est aliud dicere: homo religiosissimus in gravissima causa levissime ludit atque nugatur. An si eius modi disceptatio profanati sacri crimen haberet, satis futurum fuisse putabimus ad animum religione exsolvendum deorumve iras averruncandas, quod nefas iudicandum esset, quum res integra maneret, verbi delinimento expiare, divinumque, quod impie violatum esset, numen rite permulcere. Immo vero, quandoquidem Herculem inter coelites relatum fama erat, hoc religioni habebat, quod illa ipsa quamvis strictim tangendo, quum certius quiddam statuisset in ea re, quae per se ipsa incerta esset, aliquid ex debita divino numini reverentia ac pietate detractum aut delibatum videri poterat. Nequaquam enim satis exploratam videri illam de Herculis natura quaestionem, inde patet, quod superiore capite persequutus est, Aegyptiorum, Phoenicum, Graecorum de ea re vel maxime variare sententias. Quod totum ita concludit cap. 44 extr. *καὶ δοκέουσί μοι οὗτοι ὀρθότατα ποιέειν, οἳ διξὰ Ἡράκλεια ἱδρυσάμενοι ἔκτηνται, καὶ τῷ μὲν ὡς ἀθανάτῳ, Ὀλυμπίῳ δὲ ἐπωνυμίην, θύουσι, τῷ δ' ἑτέρῳ ὡς ἥρωι ἐναγίζουσι.* *) Nec aliud suadent, quibus utitur, deprecandi verba: *καὶ περὶ μὲν τούτων τοσαῦτα ἡμῖν εἰποῦσι καὶ παρὰ τῶν θεῶν καὶ παρὰ τῶν ἡρώων εὐμένεια εἴη.* Omnium, inquit, et deorum et heroum pace dixerim. Unde hoc nescio an recte coniectari liceat, propterea communem omnium deorum heroumque causam agi, quod de turbata divinae humanaeque naturae differentia religio iniecta sit quamvis subtiliter ad humanas rationes in commentis illis refutandis versato. Nisi forte mavis, nil aliud in causa esse, nisi quod deprecando id agat, ut populari opinioni ob fidem fabulae abrogatam satis faciat atque concedat. Utut est, illud mihi ratum fixumque est, nec deprecatoriam illam vocem ad sacra arcana referri posse, neque vero ullam hoc loco ne significationem quidem sacrorum deprehendi.

Sed quoniam incertus haeret Herodotus in deorum natura accuratius definienda, eundem consentaneum est nec gravius commoveri summa fabularum varietate, neque recondita habere ex eo genere, nisi quibus divini numinis maiestatem et dignitatem imminutam arbitretur; quum praesertim ad rerum scriptoris officium atque munus vel maxime pertinere videatur, si quae fabellarum involucris conditae lateant religionum caerimoniarumque causae atque rationes, eas ante oculos legentium proponi. Atque hanc etiam ab eo rationem susceptam esse videmus, ut quum nec divinam causam deserere nec scriptoris officio deesse in animum induxisset, quasi quandam impuritatis aut obscoenitatis robiginem abstergeret neque quidquam pensi haberet, aculeati alicuius commenti hebetaretne aciem tanquam ferri, modo species quaedam ac splendor castitatis emicaret. Certe quidem uno hoc exemplo comprobari licet, quod legitur extr. cap. 63.: Conventus, ait, Papremitani caerimoniarumque, quae festis illic diebus celebrentur, ab indigenis hasce memorari causas: *οἰκέειν ἐν τῷ ἱρῷ τούτῳ τοῦ Ἄρεος τὴν μητέρα καὶ τὸν Ἄρεα ἀπότροφον γενόμενον ἐλθεῖν ἐξανδρωμένον ἐθέλοντα τῇ μητρὶ συμμῖξαι καὶ τοὺς προπόλους τῆς μητρός, οἷα οὐκ ὀπωπότας αὐτὸν πρότερον, οὐ περιορᾶν παριέναι ἀλλ' ἀπερύκειν. τὸν δ' ἐξ ἄλλης πόλιος ἀγαγόμενον ἀνθρώπους . . . ἐσελθεῖν παρὰ τὴν μητέρα· ἀπὸ τούτου τῷ Ἄρεϊ ταύτην τὴν πληγὴν ἐν τῇ ὁρτῇ νενομικέναι φασί.* Hanc popularem fa-

*) Cic. de nat. deor. 3. 16. „quem potissimum Herculem colamus, scire sane velim; plures enim nobis tradunt ii qui interiores scrutantur et reconditas literas.

bellam in obscoeno argumento vel maxime versari, quum ex ipsa narratione augurari licet, tum veri fit simillimum inde; quod constat ex Plut. mor. *) p. 364. 962. idem, quod hoc loco innuitur, flagitium confictum esse a Papremitanis in hippopotamo, quae belua sacra putabatur deo eius pagi patrio. (Herod. II. 71. *οἱ δὲ ἵπποι οἱ ποτάμιοι νόμῳ μὲν τῷ Παπρημίτῃ ἱροί εἰσι, τοῖσι δὲ ἄλλοισι Αἰγυπτίοισι οὐκ ἱροί*). Jam vero, quae necessitudo intercedat inter deum bestiamque, quae sacra ei putabatur, exemplo est cap. 46. *καλέεται δὲ ὅ τε τράγος καὶ ὁ Πὰν Αἰγυπτιστὶ Μένδης.* Quodsi statuere velis, Herodoto illud ipsum exploratum non fuisse, nescio an contra facere videatur, quae continuo subiicitur disputatio, qua quis est quin incommode atque adeo inepte nostrum facturum fuisse iudicet, ut illo potissimum loco templa atque delubra concubitu humano profanari Agyptios sibi persuadere exponeret, nisi ipso rerum sententiarumque contextu deductus in eum sermonem incidisset. Atqui in ipsa fabula narranda, quidquid abhorret a divini numinis sanctitate, totum excludit, quum vocabulo *συμμιγνύναι* utitur, non *συμμίγνυσθαι*; atque etiam, quemadmodum adolescentem deum propulsandum existimaverint materni templi custodes aedituique, ita expedit, ut non solum pie sancteque de honesto inter parentem filiumque congressu cogitari liceat, verum etiam, quatenus per verecundiam atque religionem fieri possit, caerimoniarum causas in fabulari opinione positas, illustret. Neque equidem committendum puto, ut cum Valkenario, quique ei assentitur, Bährio ludere voluisse Herodotum in ambiguitate vocabulorum *συμμιγνύναι* et *συμμίγνυσθαι*, *εἰσιέναι*, *εἰσελθεῖν* statuamus.

Sed propius iam accedendum est ad eos locos singillatim excutiendos, quos cum illo, quem in exordio tractavi, necessitudinis quodam vinculo contineri, supra dixi. Ac primum quidem eum aggredior, qui legitur cap. 65: *τῶν δὲ εἵνεκεν ἀνεῖται τὰ θηρία ἱρά, εἰ λέγοιμι, καταβαίην ἂν τῷ λόγῳ εἰς τὰ θεῖα πρήγματα, τὰ ἐγὼ φεύγω μάλιστα ἀπηγέεσθαι· τὰ δὲ καὶ εἴρηκα αὐτέων ἐπιψαύσας ἀναγκαίῃ καταλαμβανόμενος εἶπον.* Haec Lobeckius laudat, quum illam, quam supra proposui, enarrationem comprobatam vult hac argumentatione, quod omnes homines de rebus divinis idem sentiant, sc. non temere evulgandum esse, si quid in occulto traditum sit. At equidem mirari satis non queo, quid in causa fuisse videatur, cur quum alienam ab eiusmodi mentione animum profiteri vellet, non brevi praecideret atque paucis defungeretur sollemni voce *εὔστομα κείσθω* vel simili aliqua, sed incitatiore, nescio quo pacto, animi motu agitatus divinas res persequi fugeret et reformidaret (*φεύγω μάλιστα*); neque vero hoc, opinor, facile quisquam sibi persuadebit, omnes res divinas in arcanis reponi convenire, ut ex bestiali quoque cultu initia Herodoto imputandi materia conquiratur. Omnium autem maxime me adducti, ut aliter sentiam, orationis quasi filum, quod ita deducitur. Qui in templis concumbere religioni non habeant, ait noster, eos hoc praetendere libidini, quod pecora nullo deo intercedente idem committant. Haec qui dictitent, eos nihil dicere. Quod tamen ita pronunciat, ut, quae ratiocinando comprobasse sibi videantur, acerbissimis ille quidem verbis reprobet: quam argumentandi rationem sequuti sunt adversarii, aperte non impugnet. (*οὗτοι μέν νυν τοιαῦτα ἐπιλέγοντες ποιεῦσι ἔμοιγε οὐκ ἀρεστά*). Quod quominus ab animo impetraret, ut argumentum allatum refelleret, eadem si quid video religione impeditus est, qua ductus, cur bestiae divinis apud Aegyptios honoribus haberentur, rationem reddere non vult. Scilicet utriusque controversiae disceptatio in definienda divina actione vertitur. Jam enim continuo subiungit: „Aegyptii autem," inquit, „quum alias impensius (*περισσῶς*) caerimonias agitant, tum vero, quicquid domesticarum exstat bestiarum, divinis honoribus consecratum habent". Quaerentibus autem, quam potissimum rationem bestialis cultus percontanti Herodoto sacerdotes demonstrasse videantur, omnium primum excutiendum est illud, quo pertineant *τὰ θεῖα πρήγματα.* Neque equidem nescius sum,

*) cf. Henr. Stein, ad. h. l.

varie illa multisque modis accipi posse, nec necessario per singularem eius vocabuli vim hanc requiri significationem, quam nostro equidem loco deprehendisse videor. Sed quo latius illa ad omnes res divinas patet, eo certius singulis, opinor, locis iustis finibus terminabitur, si, quid aut scriptoris cuiusque usus et consuetudo, aut sententiarum contextus et ordo suadeat, ante consuluerimus. Nostro autem loco ut *actiones* *) divinae intelligantur, non solum ratio atque verborum continuatio desiderare videtur, verum etiam, quae proximo capite de felibus narratio subiicitur; *πυρκαΐῆς γενομένης θεῖα πρήγματα καταλαμβάνει τοὺς αἰελούρους . . . οἱ δὲ αἰέλουροι διαδύοντες καὶ ὑπερθρώσκοντες τοὺς ἀνθρώπους ἐσάλλονται ἐς τὸ πῦρ.* Impetus igitur atque furor bestiarum, quo concitatae temere illae atque effuso cursu in flammas feruntur, quoniam nulla in promptu est perspicua et idonea causa, ad divinam causam revocatur. Quod quidem sexcenties ab Herodoto institui, ut in animatis, si quid humanitus expediri nequeat, ad divinam vim atque rationem illud referendum existimet, nil opus est luculentis exemplis comprobari, licet reliqua, quae in eo genere versantur, testimonia — id quod consentaneum est in eo scriptore, qui non bestialis magis naturae stabilitatem atque temeritatem illustrandam sibi proposuerit, quam humanas fortunas vicissitudinesque persequatur — ad humanas res pertineant. Jam Herodotus, quum haud dubie ex sacerdotibus percontatus esset, cur bestiis divinos honores exhiberent, hoc responsum tulisse videtur, quod manifesto divinas actiones proderent. Nam bestialem quoque, prope dixerim, virtutem ex universa mente atque potentia divina delibabant. Nec multum attinet hoc loco attendere, quod statuit discrimen Strabo 17. 803. *οὗτοι μὲν οὖν* (*Ἆπις* et *Μνεῦϊς*) *θεοὶ νομίζονται, οἱ δὲ ἄλλοι θεοὶ μὲν οὐ νομίζονται, ἱεροὶ δέ.* Etenim ne Herodotus quidem deos nuncupat ibim, felem, canem, reliquas Aegyptiorum bestias, praeter unum Apim, quo invento aiebant Aegyptii longo intervallo deum sibi praesentem adesse (3. 27); quod quo facilius hominibus non satis credulis persuaderent, quasi latebram quaerentes fulguratione coelitus ictam autumabant bovem, quae partum illum edidisset. Apud eundem tamen est, in beatis reposuisse Aegyptios, si quis a crocodilo devoratus vita defunctus esset (II. 90). Eodem pertinet, quod supra commemoravimus, apud Mendesios Pani et hirco idem nomen fuisse, itidemque, quod plangunt non minus arietem Thebaei quam Memphitae bovem (II. 43. extr.) *τύπτονται οἱ περὶ τὸ ἱρὸν ἅπαντες τὸν κριὸν καὶ ἔπειτεν ἐν ἱρῇ θήκῃ θάπτουσι αὐτόν.* Sed in his omnia alia sentire Herodotum, multis indiciis ipse professus est. Nec mihi quidem dubium est, quin toto pectore consentiat cum iis, quae Arnobius contra gentes disputat (3. 15.): „Aegyptiorum ridetis aenigmata, quod mutorum animantium formas divinis inseruerint causis easdemque quod species multo thure accipiunt et reliquo caerimoniarum apparatu; vos effigies hominum tanquam deorum veneramini potestates; nec pudet his ora terreni animalis imponere“ sqq. Verum ut ad ipsum Herodotum revertamur, non admodum, ut mihi quidem videtur, obscure is significat, quam non multum tribuat fidei sacerdotibus, quum ita narrat: *Καμβύσης δὲ, ὡς λέγουσι Αἰγύπτιοι, αὐτίκα διὰ τοῦτο τὸ ἀδίκημα ἐμάνη, ἐὼν οὐδὲ πρότερον φρενήρης* (3. 27), idemque haud ita multo post ita iudicat (c. 33.) *Κ. ἐξεμάνη, εἴτε δὴ διὰ τὸν Ἆπιν, εἴτε καὶ ἄλλως, οἷα πολλὰ ἔωθε ἀνθρώπους κακὰ καταλαμβάνειν.* Unde si nil aliud, at hoc efficitur, in manifesto impietatis crimine, Herodotum si audimus, nequaquam illam necem ducendam esse, quantumvis multum concedat modestiae ac dubitationi in iis rebus, quae ad religiones pertinent. Sed ut missa faciam reliqua, pugnat vehementer sacerdotale eiusmodi decretum cum ea opinione, quam aperte prae se fert noster alio quodam loco, ubi, quid sentiat de ea ratione, quae inter divinam providentiam et universum bestiarum genus intercedat, copiosius exponit (3. 108); *καί κως τοῦ θείου ἡ προνοίη, ὥσπερ καὶ οἰκός ἐστι, ἐοῦσα σοφὴ, ὅσα μὲν ψυχήν τε δειλὰ καὶ ἐδώδιμα, ταῦτα μὲν πάντα πολύγονα πεποίηκε, ἵνα μὴ ἐπιλίπῃ*

---

*) f. 9. 65. *εἴ τι περὶ τῶν θείων πρηγμάτων δοκέειν δεῖ, ἡ θεὸς αὐτὴ σφεας οὐκ ἐδέκετο.* — 7. 137. *δῆλον ὦν μοι, ὅτι θεῖον ἐγένετο τὸ πρῆγμα ἐκ τῆς μήνιος.*

κατεσθιόμενα· ὅσα δὲ σχέτλια καὶ ἀνιηρά, ὀλιγόγονα. Etenim vel his verbis summi numinis natura nullis terminis definitur, nisi quod ait libera voluntate utens atque infinita potentia praeditum illud sapienter rebus humanis consulere ac providere; tantumque abest, ut late per omnem rerum naturam diffusum ac disseminatum videatur, ut beluarum pecorumque conditionem ad humanas rationes comparari atque accommodari ab eo ex ista infinitate prorsus exempto, conveniens esse putetur ad divinam maiestatem. Quamquam quid pluribus opus est in ea re, cui luculentissime suffragatur, quicquid iudicii prae se fert pater historiae de divina providentia. Hoc tantum volui, usque adeo fieri non potuisse, quin Herodotus vehementer offenderet in eius modi decreto, quod non tam divinam naturam pie sancteque scrutantis, quam humana vel argumentatione vel opinatione tanquam regula metientis videretur, ut nil minus, quam verecundia aliqua ex ipsius rei admiratione petita atque ex arcanis sacris percepta illius ingenio tribuenda esset. Immo vel haec quum scribebat, penitus, nisi fallor, insidebat animo religio horrentis ac reformidantis explicatam eius causae memoriam, quam nec enucleate exponere nec ex animi sententia disceptare posset, quin maximum periculum adiret, ne turpissima quaeque atque foedissima divinae sanctitati admiscendo contagione quadam coelestes in se iras converteret. Nam quum bestialis naturae causas ipse quoque ex divina auctoritate aliqua ratione repetendas existimaret — id quod in felium impetu ac temeritate libere professus erat — haud sane minus difficiles explicatus habebat sacerdotalis decreti refutatio et sacri ritus in pecore prono ventrique obedienti exprobratio, quam talis controversia, qualem paullo ante adversus eos detrectaverat, qui fana concubitu profanari negassent.

Sed, quoniam de his satis dictum puto, veniamus nunc ad duos locos, qui ita inter se concinunt, ut, cur ore faveret, utrobique ipse satis aperte innuisse videatur: c. 46. cur Panem Aegyptii tanquam caprino ore et femore praeditum signis tabulisque expresserint, negat se expositurum, *οὔ μοι ἥδιόν ἐστι λέγειν.* Itemque insequenti capite commemorare non vult, quid in causa fuerit, cur cum in caeteris suilla sacra fastidirent, eadem tamen statis ac solemnibus plenilunii sacrificiis adhiberent: *ἔστι μὲν λόγος περὶ αὐτοῦ ὑπ' Αἰγυπτίων λεγόμενος, ἐμοὶ μέντοι ἐπισταμένῳ οὐκ εὐπρεπέστερός ἐστι λέγεσθαι.* In his non solum ipsis vocabulis *ἡδύς* et *εὐπρεπής* excusandi causa adhibitis legentium mentes ab mysteriorum suspicione abducuntur, verum etiam comparativi gradus (*οὐ-ἥδιον. οὐκ εὐπρεπέστερον*) arbitrium quoddam hominis auguste pieque de diis sentientis, non obstrictae fidei necessitatem significant; nam idem fere valent, quod latine dicitur „non satis (parum) iucundum decorum". *) Hinc autem efficitur, pudore aliquo, non religione prohibitum committere noluisse Herodotum, ut illius causae mentionem faceret. Nam quid illud rei sit, quamobrem restrictius hoc loco agendum existimet, quamquam aperte non prae se fert, tamen vel hinc coniectari licet, quod continuo subiicit, idem nomen fuisse Mendis **) Pani atque hirco. Cuius rei nulla alia in promptu

*) Matth. gr. graec. p. 854 haec habet „*οὔ μοι ἥδιόν ἐστι λέγειν*, nämlich „als es nicht zu sagen". Neque tamen cum Bährio dixerim „in comparativo elucet insignis positivi gradus vis".

**) Non liquido apparet, quid haec sibi velint scriptoris verba: *γράφουσι . . . τοῦ Πανὸς τὤγαλμα αἰγοπρόσωπον καὶ τραγοσκελέα· οὔτι τοιοῦτον νομίζοντες, ἀλλ' ὅμοιον τοῖσι ἄλλοισι θεοῖσι.* Bährius ita intelligit, „ut Aegyptii Pana mimine talem deum existimaverint, facie caprina hircique pedibus instructum, sed similem eundem reliquis diis repraesentaverint, quos scilicet animalium partibus ornatos conspicimus, ut Isidem buculae cornibus, Iovem arietis capite praeditum, alios aliis attributis." Mihi haec propterea non probantur, quod verba scriptoris eam interpretationem non recipiunt. nam hoc ait, *ὁμοῖόν μιν εἶναι νομίζουσι τοῖσι ἄλλοισι θεοῖσι*, similem eum esse, non simili ratione repraesentatum arbitrantur. Nec Steinio assentior verbo interpretanti „*ὅμοιον*, nämlich an Gestalt". Quam enim similem deorum formam informari licet? Verumtamen nec ipse habeo, quid lucis afferam; nam, quod suspicari quis possit, quum *ὅμοιον εἶναί μιν* ad ipsam Pani naturam non possit non referri, hoc loco intelligi, aliquatenus Herodoto compertum fuisse, sacerdotes communem aliquam atque eam individuam vim ac potestatem statuisse, unde singulae divinae potestates fluxissent, similitudinis inde inter se vinculo copulatae, hoc altius sane repetitum neque huius loci esse videtur.

est causa, nisi, quod, quae in hirco prolifica vis cernebatur (*τοὺς ἐρσένας μᾶλλον τῶν θηλέων σέβονται*), eadem in deo fingebatur. Neque dubium est, quin sacro aliquo sermone, quem Herodotus ad divinam sanctitatem minus decorum iudicaret, caerimoniae illius reddita sit ratio ab sacerdotibus. Quodsi non statuerimus, quid erit, cur hoc loco offendisse nostrum arbitremur, superiore illo non item (cap. 42), ubi, quam causam Thebaei ediderint Ammonem tanquam caprina facie praeditum informandi, referre non dubitat. Nec aliis testimoniis constat, Panis caerimonias religionesque in arcanis habitas esse, Amunis non item.

Neque equidem faciendum puto cum H. Steinio, qui in ea sententia est, ut, quod extremo capite legatur de aperto hirci cum Pane concubitu — idque portentum suam in aetatem incidisse ait scriptor — *ἐγένετο δ'ἐν τῷ νόμῳ τούτῳ ἐπ' ἐμεῦ τοῦτο τὸ τέρας· γυναικὶ τράγος ἐμίσγετο ἀναφανδόν· τοῦτο ἐς ἐπίδεξιν ἀνθρώπων ἀπίκετο*, — haec igitur extrema ut opinetur ad profanatum sacrum pertinere, evulgantis autem Herodoti animo arcanas, quae non in vulgus exissent, caerimonias obversatas fuisse suspicetur. Nam Pindarus *), quem Strabo (17. 1154) auctorem laudat, ut nulla controversia sit, quin statum quendam atque solemnem id genus ritum in carmine praedicet · Herodoto quidquam eius modi compertum fuisse, quod nisi initiis susceptis exploratum habere non posset, nec ullo vestigio innuitur, nec si significatio eius rei nulla est, per se ipsum fidem recipit. Quid vero, quod temere ac fortuito, quum arcanae religionis esset, foras editum erat, nescio quo casu, num hocce putabimus ad deorum nutum ac potestatem referri potuisse atque in portentorum numero haberi? Immo haud scio an ad portenta reiiciat idque neglectis auctoribus referat, quod ipse aut vulgo iactatum audierit aut relatum ab iis acceperit, qui, quum hospites ad ea, quae visenda essent, ducere solerent et unum quidque ostendere, novissimum quidque atque a quotidiano usu disiunctissimum confabulando interponere non dubitabant? Nec moror, recte olim verba sic reddita esse: „Hoc in ostentationem hominum pervenit", eorum scilicet, qui, quum in hirco eandem vim inesse atque in Pane statuerent, prope ipsum deum cum muliere illa congressum esse autumarent. Itaque hoc potius sedulo curasse videtur Herodotus, ut ne rite ista fieri aut sibi aut aliis persuaderet.

Altero autem illo loco quid minus decorum visum sit historiae patri ad disserendum, idoneus auctor est Plutarchus (de Is. et Osir. 353. 54), ubi haec leguntur; *ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ὗν ἀνίερον ζῶον ἡγοῦνται· ὡς μάλιστα γὰρ ὀχεύεσθαι δοκεῖ τῆς σελήνης φθινούσης· καὶ τῶν τὸ γάλα πινόντων ἐξανθεῖ τὰ σώματα λέπραν καὶ ψωρικὰς τραχύτητας· τὸν δὲ λόγον, ὃν θύοντες ἅπαξ ὗν ἐν πανσελήνῳ κατεσθίοντες ἐπιλέγουσι, ὡς ὁ Τυφὼν ὗν διώκων πρὸς τὴν πανσέληνον εὗρε τὴν ξυλίνην σόρον . . . οὐ πάντες ἀποδέχονται, παρακουσμάτιον ὥσπερ ἄλλα πολλὰ νομίζοντες.* Sed lepra et scabies nihil ad nostram causam; in reliquis duabus rationibus ad id, quod in manibus est, profligandum non multum interesse videtur, utrum haec Herodoti animo argumentatio obversata fuerit, quod, quae bestia alias, quippe deficientis lunae casum stata coeundi consuetudine concelebrans, in re divina repudiaretur, ob id ipsum plenilunii sacris adhiberetur, an vero eum, quem Plutarchus aperte dicit, sacrum de illa caerimonia sermonem significatum nostro loco malimus. Nam et utroque, liquido apparet, Herodoto disceptante, ad rerum sensus libidinesque moventium coenum atque sordes puram castamque divini numinis naturam traduci, et alterum ita ab altero differre, ut hinc nude proponatur, quod illinc fabularis historiae apparatu speciem ornamenti habet. Velut, quae de bestiali cultu ratio ex sacra historia delibata a sacerdotibus ferebatur, ea, opinor, nihil aliud quam divinitus etiam ratum volebant videri apud multitudinem imperitam illam quidem, sed quae nulla

*) Pind. fr. 215. *Αἰγυπτίαν Μένδητα, πὰρ κρημνὸν θαλάσσας, ἔσχατον Νείλου κέρας, αἰγιβάται ὅθι τράγοι γυναιξὶ μίσγονται.*

vi aut auctoritate nisi deorum publica religione receptorum gravius commoveretur, quod placitum humanitus decrevisset philosophantium subtilitas atque acumen.

Restant ii loci, quibus Osiridis nomen tacetur. II. 61. ubi sacrorum sollemnium, quae Busiride celebrabantur Isidi, mentio fit.: . „τύπτονται μὲν γὰρ δὴ μετὰ τὴν θυσίην πάντες καὶ πᾶσαι, μυριάδες κάρτα πολλαὶ ἀνθρώπων· τὸν δὲ τύπτονται, οὔ μοι ὅσιόν ἐστι λέγειν· ὅσοι δὲ Καρῶν εἰσι ἐν Αἰγύπτῳ, οὗτοι δὲ τοσούτῳ ἔτι πλείω ποιεῦσι τούτων, ὅσῳ καὶ τὰ μέτωπα κόπτονται μαχαίρῃσι καὶ τούτῳ δῆλοί εἰσι, ὅτι εἰσὶ ξεῖνοι καὶ οὐκ Αἰγύπτιοι. Altero deinde loco Herodotus de vario mortuorum corpora condiendi modo disserit, cap. 20. δεικνύασι (pollinctores) παραδείγματα νεκρῶν ξύλινα, τῇ γραφῇ μεμιμημένα, καὶ τὴν μὲν σπουδαιοτάτην αὐτέων φασὶ εἶναι τοῦ οὐκ ὅσιον ποιεῦμαι τὸ οὔνομα ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι οὐνομάζειν. Tertio, qualis fuerit illa bos, quam filiae defunctae sepulcri loco Mycerinus rex consecrasset, describit. cap. 132, ἐκφέρεται δὲ ἐκ τοῦ οἰκήματος ἀνὰ πάντα τὰ ἔτη, ἐπεὰν τύπτονται οἱ Αἰγύπτιοι τὸν οὐκ οὐνομαζόμενον θεὸν ὑπ' ἐμοῦ ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι. Postremo non multum recedunt ab his, quae leguntur cap. 170: εἰσὶ δὲ καὶ αἱ ταφαὶ τοῦ οὐκ ὅσιον ποιεῦμαι ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ἐξαγορεύειν τοὔνομα ἐν Σάι.

Omnibus his locis proprium illud est et singulare, quod non lex aliqua sacra disciplina constituta, sed, quam ipse sibi scripserit Herodotus, aperte significatur; primo excepto hoc habent commune, ut secretum illud in nomine divino positum continuo adiectis verbis ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ad actionem sive rem gestam sacro aliquo sermone expositam traducatur. Jam mitto quaerere, nonne scripturus fuerit τούτῳ aut τῷ τοιούτῳ πρήγματι, si certum illud mysterium innui voluisset — nam, ut nunc res est, nil aliud, quam sacrum quoddam ex eo genere designare videtur, quae pronuntiari nefas sit —. Sed, ut in primo illo subsistam, divina illa res Busiride celebrata non solum summo hominum universa ex Aegypto concursu obitur, verum etiam Cares, genus hominum alienigenarum, non dico interesse, sed suo ritu caerimonias, ut consimiles, ita nequaquam sacerdotali disciplina sancitas procurare non nefas habebatur. An vero ab Atheniensibus, quae civitas humanitatis laude praeter ceteras florebat, exterae illa quidem aetate nationes omnes arcanis sacris prohibebantur: ab Aegyptiorum sacerdotibus, quibus nullum genus hominum constat fuisse ab exterarum gentium usu atque commercio magis alienum, exclusas illas non arbitrabimur?

Itaque ut facile concedo, id quod ipsius Herodoti testimonio comprobatur, fuisse spectacula sacra, quae Aegyptii arcana nuncuparent, quibus Osiridis dilaniatio et Isidis errores, et quae sunt reliqua eius fabulae, ab imbecilla plebecula semota, ante oculos spectantium proponerentur, ita illo profecto loco non talia commemorantur, sed, quae promiscue ab omni turba indoctioris vulgi celebrata sint. Nec altero illo loco, qui est de condiendis mortuorum corporibus, ipsa, de qua agitur, caerimonia arcani investigandi ansam praebet; pollinctorum enim opera, quamquam procurationem aliquam ad sacra animis percipienda conformatam et institutam spectat, ipsa non solum in arcanis, sed ne in sacris quidem versatur. Immo mirum videri debebit, si quis mysteriorum causam hoc loco requirat, Osiridis nomen nequaquam reticeri, ubi inferorum ille praeses dicatur atque earum rerum, quae ad immortalitatem animorum pertinent, mentio fiat (II. 123.); quoniam, si quidquam aliud, illae certe religiones arcani opinationem habent. Jtaque nihil relinquitur, nisi ut „tali“, quam ait, „re“ (ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι) per se ipsa, nulla peculiaris alicuius sacri ratione habita, religionem scriptoris animo iniectam esse statuamus. Jam si consideraverimus, non temere atque promiscue nunc in recondito haberi, nunc libere aperteque pronunciari illius dei nomen — id quod Steinius disputare videtur („zuweilen hat Herodot mystische Bedenken, den Osiris-Namen auszusprechen“), sed certissimam eam rationem initam esse, ut nusquam id numen nuncupare dubitaret, nisi ipsa Osiridis dilaniatio tangeretur; porro si reputaverimus, uno illo, unde orsus sum, loco,

non quae sint, sed quae nuncupentur, mysteria commemorari, eaque haud dubie sacro aliquo sermone cum Herodoto communicata, universum autem id genus sacrae historiae propterea ab illo repudiari, quod in tali re non plus sapiant sacrificuli, quam quivis unus de grege: haec, inquam, omnia si animo et cogitatione comprehenderimus, fieri vix poterit, quin aliam quandam tacendi causam, quam illam ex arcani religione ductam sumamus. Atque mea quidem sententia, quae ad Osiridis dilaniationem pertinent, idcirco tangere fugit et reformidat, quod haec ipsa in eo genere commentorum adnumerat, quae ad divini numinis praecipuam ac singularem dignitatem minus decora videantur. Quo loco in mentem mihi venit Xenophaneum illud „εἰ μὲν θεὸν ὑπολαμβάνουσι, μὴ θρηνεῖν· εἰ δὲ ἄνθρωπον, μὴ θύειν“, quod quum varie multi trahunt, tum complures ad luctuosum Osiridis cultum referunt, (cf. Lobeck. de morte Bacchi pag. 20). Neque enim eorum causa, qui arcani religionem requirunt, ita faciliores explicatus habebit, si ad allegoricam vel symbolicam rationem, quae minus probarentur ex sacra historia, Herodotum revocasse voluerint. Quae quidem ratio ut illa aetate iniri coepta est a multis, ita in Herodoti ingenium moresque minime convenit. Is enim, ut eo utar atque reliqua id genus praetermittam, non dubium est, quin nihil offensurus fuerit in iis, quae de Rhampsiniti ad inferos descensu ab sacerdotibus accepta in nugis atque ineptiis adnumerat, si inclinato in illam rationem animo fuisset. Sed, ut haec comparatio non probetur, ne sic quidem intelligo, quid tali ex interpretatione ad religionem verecundiamque movendam satis efficax efflorescere videatur, divini numinis quasi persona detracta atque ad rerum sensus moventium causas traducta. Immo, ut mihi quidem videtur, de Osiridis cultu non multo secus statuit Herodotus, ac Xenophanes. Hunc enim deum eundem esse putat, atque Dionysum Graecorum. Quod quibus argumentis demonstrare sibi videatur, parum est huius loci explicare. Illud non alienum a proposito susceptoque consilio est, quod de Dionysi cultu in Graeciam translato iudicium faciat, exquirere. cap. 49. Melampodis, inclyti illius vatis, opera atque studio Aegyptiaci dei nomen, sacrificia, pompam in Graecorum notitiam atque usum pervenisse exponit. Ex his, quae copiose persequitur de Dionysi cultu, pauca, quae ad nostram causam pertinent, excerpere libet. Ac Melampodem quidem, quamvis tecte, acerbissima reprehensione perstringit. Cuius rei nulla in promptu est causa, nisi illa, quod Aegyptiorum de Dionyso doctrinam in Graeciam transtulit. Doctrina continentur nomen, sacrificia, pompa. Graecorum Dionysiaca propterea repudiantur, quod flagitii atque obscoenitatis haud minus plena sunt, quam Aegyptiaca. Quodsi quis contra dixerit, non hoc crimini dari Melampodi, quod obscoenum evulgaverit argumentum, unde foedus cultus dei manaverit, sed illud probro verti, quod ex parte tantummodo proposuerit, non cum pulvisculo exhauserit Aegyptiorum doctrinam, est sane, quod disputes, hoc si vellet Herodotus, mirum futurum fuisse, ni, plenius accuratiusque illa cognita, cultum quoque emendatiorem exstitisse narraret. At nil eius modi. Immo omnem rationis praeceptionem atque doctrinam plenius subtiliusque cognitam esse tradit eamque institutionem non sacerdoti neque vati alicui. sed „sophistis“, quos ait, tribuit; cultum atque caerimonias mutata esse negat? Atque hoc is artificio utebatur id sequutus, ut ne male concinnatum videretur, quod iudicium de Dionysi cultu *antiquitus* translato proposuisset. Apud Aegyptios enim integram usque neque ullo loco mutatam sacram illius cultus rationem doctrinamque intelligebat, quoad longissime praeteriti temporis spatium memoria remetiretur; apud Graecos alius deprehendebatur Dionysus, qui sacro ritu antiquitus coleretur, alius, qui sophistarum doctorumque hominum scriptis postea celebraretur. Itaque duas describit aetates sacri Dionysiaci inter Graecos explicati: unam Melampodis, qui rem divinam praeiverit, — neque is, Herodotum si audis, quae praecepta inter populares propagavit, adulterata vel corrupta tradidit, sed mancam atque inchoatam praeceptionem reliquit —, alteram Pythagoreorum maximeque Orphicorum, qui dicuntur;

qui quidem primariam illam fabulam, quam sive sacerdotalis sive placet popularis opinio ferebat, primi doctis per Graeciam hominibus exposuerant *).

Quorsum haec tam multa de Dionyso? Quia nec Dionysiacis Aegyptiorum sacris sancti religiosive quidquam tribui, et philosophorum argutiis vindicari, quae de fabula Osiriaca in Graeciam fluxerint, ex illa expositione elucet atque emergit.

Hinc magna significatio fit — ut ad illa revertamur —, cur eum deum, quem morte, humana calamitate, affectum ferebat sacra fabula, nuncupare nolit Herodotus, causam idcirco ex religione repeti, ut nefas videatur, in summo numine humanae imbecillitatis casus affingere; sic enim statuit, immortalitate sublata divinae humanaeque naturae differentiam funditus tolli. Ipso autem nomine abstineri, quum offensionem habeat res, cuius id nomen sit, quum communi veterum usu atque consuetudine confirmatur, tum exemplis ex Herodoto repetitis demonstrari licet. II. 128. *τούτους (Χέοπα καὶ Χέφρηνα) οὐ χάρτα θέλουσι Αἰγύπτιοι οὐνομάζειν.* III. 38. *οἱ δὲ ἀμβώσαντες μέγα εὐφημεῖν μιν ἐκέλευον.* Quo etiam minus mirandum est, in ipso deo hominem religione perculsum talia abominari. Atque Sophocleum illud (Oed. Tyr. 1409) „*ἀλλ᾽ οὐ γὰρ αὐδᾶν ἔσθ᾽ ἃ μηδὲ δρᾶν καλόν*“ eo magis huc trahere licet, quod commenticiam illam fabulam atque „sophistarum“ artificio confictam, Herodoto disceptante, impii nefariiqve facti crimen habere haud immerito dixeris. Neque quisquam, opinor, disputabit vocabuli *ὅσιος* (*οὔ μοι ὅσιόν ἐστι λέγειν*) non eam vim esse, quae huc quadrare possit. Quidni enim divina aut lege adstricti aut voluntate et numine sancti dicantur, qui tacenda tacent recti religiosique conscientia tacti. Cf. Xen. apol. 12. *ἀλλ᾽ οἱ μὲν οἰωνούς τε καὶ συμβόλους τε καὶ μάντεις ὀνομάζουσι τοὺς προσημαίνοντας εἶναι· ἐγὼ δὲ τοῦτο δαιμόνιον καλῶ· καὶ οἶμαι οὕτως ὀνομάζων καὶ ἀληθέστερα καὶ ὁ σ ι ώ τ ε ρ α λέγειν τῶν τοῖς ὄρνισιν ἀνατιθέντων τὴν τῶν θεῶν δύναμιν.*

Sed haec hactenus. Equidem si quid sciens praetermisi, ita me docti harum rerum existimatores male habeant, ut istam de Aegyptiorum mysteriis opinationem male habitam cupio. Quicquid vel nescius vel inscius peccavi, *περὶ τούτων ἐμοὶ τοσαῦτα εἰπόντι παρὰ τῶν ἡρώων εὐμένεια εἴη.*

---

*) Onomacritum primum hanc fabulam inter Graecos ita vulgasse, ut, quae partes Typhonis apud Aegyptios fuissent, has Titanibus tribueret, Pausaniae testimonio constat. (8. 37. p. 464). cf. Lobeck. de mort. Bacchi pag. 4.